

Deus ita svadet &c: E. Conclusio est blasphema & à Christiano non toleranda. Minor est eorum, qui in decreto prædeterminante futura contingentia conditionata sciri autumant. Major est certa, quia qui actum illegalem committit, si non liberè committat non audit causa peccati, sed is demum qui ipsum ad talem libere determinavit.

§. 35. Hanc vero sententiam gravi censurâ excipit Vir Clariss. Adrianus Heereboord. Philosophus Batavus, in suis meletematicis Philosophicis, *disp. ex Philos. select. volum. 1. disp. 30.* dum postquam th. 3. ex mente suâ scientiam Dei, quàm vocant, simplicis intelligentiæ & visionis explicasset, subjungit statim eâdem thesi: *Præter has duas (simplicis intelligentiæ & visionis) tertiam quandam in Deo scientiam excogitarunt Jesuitæ, eamq; avidè arripuerunt Remonstrantes, per quàm ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis actum futurum, cognoscat, quid liberum arbitrium creatum facturum sit, si in talibus circumstantiis constituatur: Oppositum cogniturus si oppositum voluntas creata, ut potuisset, ita voluisset facere. Una ergo juxta hos est possibilitium scientia, nempe simplicis intelligentiæ; sed due sunt futurorum, altera absolute, quæ vulgo visionis, altera sub conditione, quæ conditionata dici solet: Hæc cum nec naturalis sit præcisè, nec libera, sed respectu objecti libera, respectu subjecti naturalis, neutram & mediam eam vocarunt, qui invenerunt: Nam de genuino illius parente, haud segnius ac de puero vivo cum Salomone meretrices, ipsi inter sese certant Jesuitæ, Fonseca, Molina & alii, dum quisq; cerebello suo de partu tam generoso ambitiosè gratulatur, ac alter alteri laudem præreptum it. Hinc censura ejus: Verum enim verò, inquit, si Monsterum hoc penitiùs inspexeris, nihil hic nisi antiquorum terminos, & Pelagianorum cramben reponi videbis, nam id circo tanto molimine adstruitur scientia hæc media, ut ei superstruatur prædestinatio ex fide aut operibus prævisis, & Liberi arbitrii idolum super Gratiâ eleveatur. Hinc non secus ac si cum hydrâ Lernæâ sit congressurus, pergit: Sed enim operæ pretium fuerit variis argumentis monsterum hoc confodere, quod omisis argumentis ex Scriptura petitis, solidis ex Philosophia rationibus effectum dabimus.*

§. 36. Videbimus jam quam sint solidæ ex Philosophia rationes, quibus hoc se affecuturum sperat, modo hoc rursus monemus; non omnes scientiam mediam facere tertium scientiæ divinæ distinctionis membrum, sed ejus objectum, re ipsa non ne-

gata